



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 9. Manuelis Chrysoloræ obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. dem artes omnibus palam fierent; tuen-
 A C. 1415. tur vero Imperatorem, & Joannis que-
 relas in eum prolatas refellunt.

§. IX.

Manuelis Chrysoloræ obitus.

Vid. supr.
Lib. CII.
§. 75.

Vander
Hardt to. I.
Prolog. p. 10
II.

Biduo post hanc Congregationem, nimi-
 rum die decima quinta Aprilis Ma-
 nuel Chrysolaras Græcus, celeberrimus
 vir diem supremum clausit, annos natus
 quadraginta septem. Erat is quondam
 itineris socius, dum Cardinalis Florenti-
 nus de tempore & Concilii loco cum Cæ-
 sare acturus Florentiam petebat, postea
 vero cum præfato Cardinale Constan-
 tiam venit, ubi etiam idem Cardinalis in
 Mense Septembri anno salutis millesimo
 quadringentesimo decimo septimo fati-
 cessit. Chrysolaras ex primis illis Ro-
 manis, qui cum Constantino Magno Con-
 stantinopolim migrabant, originem du-
 cens, ob merita sua, omnium iudicio,
 Pontificali gradu dignus habebatur, quæ
 laus speciatim in ejus Epitaphio Con-
 stantiæ in Ecclesia FF. Prædicatorum le-
 gitur. Literariæ Reipublicæ notissimum
 est, doctum hunc virum ad artes libe-
 rales in Europa restaurandas non pa-
 rum contulisse. Docuit præterea per
 plures annos in Italia linguam Græcam,
 ferme septingentis retro annis neglectam,
 ejus-

ejusque industriæ debetur, quod non so- Sæcul. XV.
lum Venetiis, Florentiæ, Romæ, & Pa- A.C 1415.
tavii Græcarum literarum studium flore-
ret, sed insuper latinus sermo, qui sæcu-
lorum præcedentium barbariem pluri-
mum redolebat, integritati suæ restitue-
retur. Scripsisse fertur Grammaticam
græcam, aliudque quoddam opusculum,

§. X.

Sessio sexta.

Sexta Concilii Sessio habita est die de- Labb. Conc.
cima septima Aprilis; In ea agitatum, gen.tom. 12s
ut Joannes vel ad Synodum redire, vel p. 26.
sincera fide Papatum deponere compelleretur. Igitur sacro solemniter de Spiritu Sancto per Archiepiscopum Gnesnensem decantato, Cardinalis Vivariensis, utpote ceteris antiquior, Sessioni præfuit, quo honore in reliquis quoque sessionibus usque ad electionem novi Pontificis defunctus est. Aderant Imperator, omnesque Cardinales Constantiæ degentes. Absolutis litanis, aliisque consuetis precibus S. Evangelium ex capite X. S. Joannis: *Ego sum Pastor bonus &c.* depromptum legebatur, postea concepta mandati formula, quæ Pontifici ad cedendum Papatu proponeretur, recitata, atque approbata est. His peractis duo ex qualibet Natione a Synodo designabantur Procurato-
res,

res,